



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones à Clemente X. & Innocentio XI. editas

Luxemburgi, 1739

CXLIII. Resolutio Dubiorum circa Capitulum Gen. Monachorum Cistercien.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74708)

1685.
Confirmatio
relati Decre-
ti.

Clausula.

ferum auctoritate Apostolica tenore presentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolica firmitatis robor adjuicimus; Salva tamen semper in praemissis auctoritate memorata Congregationis Cardinalium.

§. 2. Decernentes eadem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari: Sicque in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit praefatorum Ordinis, & Provinciarum, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XVI. Aprilis MDCLXXXV. Pontificatus nostri Anno Nono.

CXLIII.

Resolvuntur quaedam dubia circa modum celebrandi Capitula Generalia Ordinis Cisterciensis.

De Capitulo Gener. vid. Gregor. XIII. Constit. edit. 1578. Maii 22. P. 7. Et de transitu Monachorum in aliam Religionem hujus Pontif. Constit. ed. 1686. Aug. 5. P. 10.

Dat. 10. Maii
1685. An. 9.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

CUM in Causa praesentis nullitatis quorundam Capitulum Generalium Ordinis Cisterciensis inter dilectos Filios Abbatem Cistercii totius Ordinis Generalem ex una, & Abbates Monasteriorum de Firmitate, & Posnaco, de Claravalle, & de Morimundo ex altera partibus vertente, proposita fuerint in Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Card. negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium proposita nonnulla dubia, nempe. Primo, an sit servanda consuetudo, qua pro indicendo Capitulo Generali Abbas Cistercii consuevit cum quatuor Primariis Abbatibus deliberare, ac de eorumdem consilio, & assensu Capitulum indicere? Secundo, an ad Capitulum, ad hoc ut sit Generale, vocandi sint omnes Abbates Ordinis? Tertio, an in Capitulo Generali Ordinis Cisterciensis definitiones sumenda sint per filiationes, & non per vota capitatum? Quarto, an in Capitulo Generali dicti Ordinis omnino adhibendi sint viginti quinque Diffinitores, ita ut non existentibus tot Abbatibus numerus integrandus sit ex aliis Religiosis benemeritis? Quinto, an pariter interesse debeant quatuor primarii Abbates, & iis non intervenientibus substituendi eorum loco? Sexto, an Capitulum Generale anni 1672. fuerit nullum? Septimo, an fuerit pariter nullum Capitulum anni 1683.? Hinc est, quod Nos, qui in supremo Iustitiae

throno a Domino constituti sumus, lites, & controversias, quae fraterna inter viros Religiosos suave Christi jugum portantis charitatis serenitatem obnubilare possent, tollere, illisque in futurum ansam praecidere, ac dubia praedicta dirimere volentes, de memoratorum Cardinalium qui partes tam in voce, quam in scriptis Informantes audiverunt, remque mature discusserunt consilio, in indicendo Capitulo Generali Ordinis praedicti Abbatem Cistercii non teneri requirere, neque consensum, neque consilium quatuor primariorum Abbatum: Ad Capitulum vero Generale vocandos esse quoscumque qui de jure interesse debent. In Capitulis autem Generalibus ejusdem Ordinis votandum esse viritum, & non per filiationes: Porro in deputatione Diffinitorum, non existente sufficienti numero Abbatum posse suppleri ab Abbate ex aliis Religiosis magis dignis ejusdem generationis, non tamen in casu voluntarii recessus: & quoad effectum deputationis Diffinitorum servandum esse solitum; quo vero ad defectum suffragii Abbatibus absentis, non esse locum substitutioni, auctoritate Apostolica tenore praesentium decernimus, & declaramus.

Denique omnes nullitates quatenus in praefatis Capitulis Generalibus anno 1672., & anno 1683. respective celebratis intervenierint, auctoritate, & tenore praedictis sanamus; ac diffinitiones, & Ordinationes utriusque Capituli, usque ad novum Capitulum Generale Ordinis praedicti servari eadem auctoritate harum serie mandamus, & praecipimus.

§. 1. Decernentes eadem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 2. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit d. Ordinis, aliisve quibusvis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 3. Volumus autem, ut earundem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum, habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die X. Maii MDCLXXXV. Pontificatus Nostri Anno Nono.

Confirmatur Decretum Congreg. Episc. & Reg. quo Superioribus S. Francisci de Observantia injungitur, ne permittant Seculares ingredi septa Cœnobii cum sclopis, aut armis, vel ibi ludere, aut morari ultra tres dies.

Clausula.

Dubia praedicta.

Eorumdem resolutiones.

CXLIV.

De